...sis.

Honorum, virtutumque Nexus Petri Gembicki
episc. Crac. solutae et ligatae orationis floribus
implexus, sub auspicatum in sedem ingressum opera Collegii
Cracov. Soc. Jes ad Basilicam SS. Petri et Pauli:
(Societatis Jesu Coll. Crac: Panegyricus Illustr.
ac Rdi. Praesuli ac Principi Petro
Gembicki.)

tit. decis.

Cracoviae, typ. Valeriani Piątkowski 1643. fol.

ILLVSTRISSIMO AC REVEREND: D.

D. PETRO GEMBICKI

Dei & Apostolicæ Sedis gratia,

EPISCOPO CRACOV.

DVCI SEVERIÆ, &c.

VERNVM hunc sibi diem illuxisse Augusta hæc Diuorum sedes experitur Illustriss: Antistes, quo Te solem nouum, post hybernam tempestatem, sibi morte Præsulis optatissimi funestam, vere orientem aspicit, & adorat. Adeò se vernantem singulari voluptate sentit, vt tametsi non persentisceret, ridere prata, loqui volucres, luxuriare gemmis syluas, ipsa ver ferret animis, tantò equidem lætiùs quod Te viuum solem animare omnia æquius est ad amænitatem. Animasti etiam ad vocem tacentes Musas, eoq; humaniores effecisti, quòd ad conspectum Tuæ Illustriss: Celsitudinis loquantur. Plus oportet verè sentiant, quàm fabulosè muta olim saxa ad vocem Amphionis, aut tantùm murmurantes syluas ad lyram Orphei sensisse ferunt, quando Tua insignis in tanta dignitate humanitas, Maiestatē adeo temperat suauitate morū, vt faciliùs Orpheo & Amphione pellicere ad officia humanitatis possis, mutos etiam

& elingues. Tametsi quod loquantur Tuæ istud etiam dignitatis est ac Virtutis, quem non venerari officio tam difficile est, quàm difficile Tibi, non eum esse, quem Tē diu suspeximus, nunc suscipimus venerabundi. Indulgebis Tibi ipsi, si nobis hanc veniam dederis, ut neque nos taceamus qui suauissima vi cingimur Tuæ Dignitatis tot vndique loquendi causas suggerentis, vt parum videatur eam coli vocalibus linguis, nisi & tacentes prorumpant in conatum venerationis. Vnam hanc esse noxam agnoscimus, quòd loquendo minùs expendamus quàm Tu mereris, nec expendere velimus: nisi & hoc Tuæ sit Celsitudinis qui plùs merearis quàm calamo exolui poßit; cum virtutis famam, eò altitudinis factis extenderis, quò ne sublimes quidem mentes aßurgant conatu laudum. Facilitas summæ humanitatis Tuæ effecerit vt Illustriss. Tua Celsitudo singulari beneuolentiâ inclinet se ad humilitatem nostram, & non insolenti magnis animis, Tibi autem inprimis propriâ humanißimâ demißione dignitatis, suorum in se studia & voluntates adæquet.

Illustriss: Tuæ Celsitudini

ad obsequia humillima

deuotissimum

Collegium Cracouiense
SOCIETATIS IESV.

PANEGYRICVS
Illuſtriſs: & Reuerendiſs: Præſuli
AC PRINCIPI,
E Voto Societatis IESV
DICATVS.

INGREDERIS fortunatus hoſpes Pontificio Tuo acceſſu nouas, meritis pridem Tuas ſedes, ILLVSTRISSIME ANTISTES, quæ vt diu expanſos animorum ſinus in complexum Tuæ dignitatis ferunt, ita nouam venienti, felicibus aditu Tuo vijs, ſingularis lætitiæ inſternunt voluptatem. Veniunt in Auguſtum hoc Pontificij Honoris domicilium vnà Tecum virtutes Tuæ, atq; omnis ſplendor meritorum & honorum, quibus Illuſtriſſimam primo etiam ingreſſu accendis lucem, omniumq; oculis Illuſtris adeò affulges, vt à nemine non videri poſſit quantus ſis qui hanc primum ſedem ingrederis, longè iam emeritus eam pridem occupaſſe. Nos in tanta ſplendoris huius luce ſperare ſerenitatem decet Tuæ Humaniſſimæ voluntatis, dum Te in hoc ſolennis lætitiæ communi vſu, magis ~~admiratione~~ veneratione proſequimur quàm laude.

Diu bonorum omnium desiderijs ac votis certatum est, vt quod altissimum haberet Polonia, Tuæ Celsitudini deferretur. Debitum istud erat, quod in Tuis nominibus Tua dignitas insignis eò nos auidiores numerare docuit, quòd nollet numerari. Nam quantumcunqué illud est quod homines mirari consueuerunt, minus quidem videri potest Tuâ magnitudine: Neq; tamen non Tuo iure Tuum; cùm nihil maius haberi possit, quod mẽsuram Tuæ magnitudinis adæquet. Ita magnis referre paria videmur, cùm ea quæ possumus ita deferimus, vt sinceris affectibus tenuitatem compensemus rerum, atqué hoc contendimus, vt quod deest ad magnitudinem debiti studijs & voluntatibus augeamus. Et Tu quidem ita hactenus vixisti, vt cùm esses maximus, videri nolles: neq; altitudines Infulatarum sedium peteres; ne honorum accessione creuisse videreris. Ibas viâ illa regiâ ad hanc sedem, qua boni solent, non ambitionis contentione, sed virtutis, ac dignitatis. Atq; hæc Tua via non inde sumpsit initium, cum inter Regalis Aulæ curas Patriæ ac Principi, fidem & industriam publicè probare cæpisti: à primâ adolescentiâ iter hoc ingressus es & cum minimè cogitares, ad summa contendisti. adeo nihil vnquam humile moliri magnus animus potuit, cũq; minoribus curis incumberet, tantus vbiq; apparebat; quantus esse debuisti, tametsi non fuisses. Neq; enim nunc primum miramur in Te quæ videmus, aut mensuram Tui capimus ab extraneo honorum accessu: neque ideo talem Te fingimus, quia huc euaseris, quò ne magni quidem, nisi summis conatibus euaserunt: quæ maxime Tua sunt, dotes inquam insignes Tuæ pares summis honoribus, mensuram Tui exhibent tam certam, vt quod vulgò iudicium ex euentu ferri de rerum hominũqué magnitudine consueuit, de Te ante omnes euentus ferri potuerit. Quanquam quod in euentibus fortuitis

merito

meritò ſæpe reponunt alij, quos nonnunquam ridenti vultu, reſpicit fortuna blandiens, vt naturæ riſum faciat ac virtuti; Tu non inter euentus numerare debes, quod de Te facere fortunam etiam nolentem oportuit. Aliorum ſit iſta felicitas, lenocinijs fortunæ vti: Tu naturâ factus es, qui fortunam inſita dignitatis Tuæ vi cogeres, verè Tuæ fortunæ faber, ne de Te ſtatuere poſſet, niſi quod deberet. Itaq; ſi quando ſublimitas Honorum iniquior altitudinis menſura videri poſſit in alijs, quos illa primùm fecit admirabiles, in Te equidem iuſtiſſima eſt cumprimis, qui non tantus es quantum Te Honores fecerunt, ſed quantus honores merebaris. Sed nos ijs Te inſignibus, quæ olim ab indole digna magno ſanguine, quæq; induſtriâ ac virtute acceperas, hoc eſt, Tuo metimur palmo. Ita nunquam errari potuit, quoties de Te ſumma omnia animis præcepta ſunt, cùm ad ſumma natus ſemper videreris. Vidit hoc magnus ille animus Tui Patrui Principis cætera immortalitatem meritiſſimi, niſi hâc mortalitatis noxâ peccaſſet in viuos, quòd eis deſierit viuere; atque vt in Te viueret ſuamq; pietatem per Te Patrię pergeret expendere, aperuit Tuę virtuti viam ad Rempublicam (ſummis ingenijs patentem campum) vltro iam ambientem tuis manibus foueri; eluſiſſet etiam, ſi magna Virtus Tua alium voluiſſet ducem quàm ſeipſam. Tibi ſatis fuit ex animo principe diſcere

Virtutem verumq; laborem.

Fortunam ex alijs

diſcere opus non habebas, qui Tuò illam Tibi ingenio, qualem velles facere potuiſti. Vidit Magnus animorum cognitor Sigiſmundus Tibi inprimis hæreditatem laudis publicæ à Principe Patruo relinqui, Teq; ijs laboribus admouit quibus ferendis ſoli ſufficiunt humeri, qui magni ſunt. Tu verò & facundiæ diuinæ & virtutis

hæres Immortali Patruo superstes.

Os humerosq; (DEO) similis

adeò feliciter summis curis, animum ac manus adiecisti, vt quod validissimi tantùm possunt, indefessus tot annos (quot Tibi porro augeant cælestes) maximis pro republica laboribus, magis exegeris, quàm temporum momentis. Quâ fide, quâ in Patriam ac Principem pietate, ingentes illas curas exantlaueris, diu iam, quæ pręcipua sunt Honorum argumenta, palam facerent, Si Tu aut præmijs augeri maluisses, quàm meritis; aut ordine inuerso voluisses tantùm non ignauus professor honorũ, acceptis honoribus videri. Illa illa via est honores ambiendi, quam tu sine ambitu inijsti, dum efficeres virtute, vt in Tuis nominibus numeraretur Honor: nolueris debere honoribus meritorum ingloriam mercedem. In præmijs reponebas mereri præmia, atq; hanc honorificentissimam Tui nominis laudem reputabas laboribus anteire alios, qui honoribus præirent. Etsi ne tunc quidem prouidentia cælestis, non egregiè consultum ibat Tuæ dignitati, cùm differret virtutis præmia: differebat tam diu dum Tibi esset gloriosius, videri ante alios, quos ante Te vidisti, Neq; illud alio quàm diuino cõsilio factum existimem, singulares impensas meritorum non priùs illustria honorum retulisse decora, tametsi pridem referre merebantur, quàm pluribus titulis Tuum esse posset quod Tibi deferretur. Conspirare in Tuos honores debuit cum Iustitia non solum Gratitudo, sed etiam Pietas, quam Serenissimus Filius eximiè Progenitori Optimo expens[illegible]iret, cùm merita in Parentem Serenissimum collata primis honorum insignibus ornaret. Duos Tibi simul faciebant, Tua merita debitores, quorum alter plus debere vellet, posteaquàm plus à Te accepisset: alter expenderet pietate propensissimam ad officia grati animi alterius voluntatem. Vixisset ille ipse

Tu

Tu quidem nō alius euasisses, quam qui esse pridem meruisti meritò etiam citius, quòd proximè virtutem fortuna sequi debuerat. Sed hoc etiam debebatur felicitati Magni VLADISLAI, vt vna & eadem benignitatis Regiæ operâ, & Serenissimo Parenti officium expēderet Filij, & paria referret ijs, apud quos memor officiorum meritorumq; Diui Parentis animus, nomina gratię ac beneficentiæ fecerat. Anne hoc etiam bellator Dauid victori Salomoni cōmissum voluerit, vt liberalis vereq; regius animus, redderet gratiam meritis quam ipse reddidisset, nisi serò potius, quam parcè reddere statuisset? Liceat mihi nunc vaticinari, quando rerum euentus fecerè vt fides Orationi habeatur. Meminimus regales Progenitoris manus inter extremos magnæ animæ spiritus incubuisse in Filium, hac etiam opinor causâ vt beneficentiam quam in Te liberalem Progenitor esse voluit hereditate relinqueret Filio veluti testamento scriptā, Tuq; adeo pluribus deberes gratiam, quam è manibus vnius videreris accepturus. Tu interea vnum hoc magno studio egisti vt beneficentiam paratam, præuerteres novis meritis, neq; prius accederes ad vsum gratiæ tot laboribus antea quæsitæ, quàm eam præmijs recētium officiorum impensis occupares. Atq; vt ne deesset occupando via, Tua illa industria effecit quæ diu Principi perspecta, meruit ne lateret. Nouum laboris videbaris ingressus campum nouo Principe inaugurato, cum noua vndiq; pericula veteranas poscerent consilij animiq; vires. Pacatus & inermis armato Principi semper adhæsisti; vt consilijs armares Tuos, viribus atq; animis exarmares hostes. Exarmasti profectò, atq; vt ad cumulū æternæ gloriæ VLADISLAI IV. Pars magna accessisti: ita renouatis exemplis docuisti posteros, formidabilem armato hosti esse Sapientiam inermem. Exercuit

cuit Te virtus non tantùm inter studia Reipublicę tranquilla, verum etiam inter strepitus armorum, atq; id palam nobis fecit, quantus & in Campo Martio fuisses si bellator esses. Diuturnior Tibi laborum vsus Republicâ pacatâ, quàm vt Tu pacatam, industria & consilio seruares, Tibi ipsi quietem permittere noluisti Egregius sanè animus, suoq; domicilio hoc est Magno Heróe dignus, qui non aliâ quiete frui vellet, quam quæ Reipub. priuatis curarum impendijs pararetur. Agnouit virtutem tantam solers animus Principis, qui tamdiu suo Te affixum lateri complexus est, ne tuis auxilijs careret. Ad manū Te esse oportuit, qui propè manus esses; plus etiam dicere liceat; non poteras à Capite Reipub: abesse, qui præstantissimis consilijs vitam Patriæ inspirares. Pridem Te inter prima fastigia Infularum vidissemus, nisi magis suis Respub: studuisset commodis, quam Tuis. Neque Tu laborum impatiens aut honorum cupidus festinabas ad honestum otium: neque adeò maturabas tot vestigijs impressum iter, vt citò quiesceres: vixisti prope immemor Tuorum meritorum: neq; aliud tot curis agere videbaris, quàm vt de Republ. ac Principe optimè merereris: Hoc Tibi certamen vnum reliqueras nulli cōcedere, quoties fide ac industria agendum esset; cum interea negligeres industriæ præmia, quæ vltro prensasset manus, nisi moderatio rara animi eas prensari noluisset. Ea est vere fortunatorum conditio, Honores adipisci non cum primùm haberi possunt, si studio quærantur, sed cum sese ipsi emeritis ingerunt, tanto equidem meliore fortuna horum, quod precarij sedem apud eos quærant, non precario quærantur. Fuit illud Virtutis Tuæ, vt sine ambitione quærendi, rogantes propè admitteres dignitates, tot & tam illustribus meritis ornatam sedem diu ambientes. Pulcher-

cherrimum Reipubl: oculis ſpectaculum dabas, cum inter concurſantium honorum ambitioſa ſtudia nullum ipſe ambires; dubitares etiam an admitteres, ambientē qui maximè ambiri potuit. Pergebas ad immortalem æternæ laudis metam illa via, qua pauci ſolent; cum laborum tantum primas Tibi vendicares: qui honoribus præire vellent, non tantum patereris, verùm etiam (dicam modeſtiſſimè) vt præirent inuitares. Vnum illud ferebas non inuitus honoris nomen quod ſeminarium laborum eſt, Tibi verò inprimis, qui humanitate ſingulari effeceras vt nulli inacceſſus eſſes: Quantum hic collegeris meritorum, ſcribet memoria perennis, de Te venientibus olim ſeculis exemplum factura. Ac ne quiſquam dubitare poſſet, quis acceſſeris ad illud Honoris onus, diuinitus factum arbitrabor, vt Collegas non alios haberes, quam qui oppoſitu virtutis ac dignitatis veluti lucis maximæ palàm facerent dignitatem ac virtutem Tuam. Non Te inobſcurauit Principum Virorum ſplendor illuſtriſſimus, qui orbem impleuerit: illuſtriorem etiam effecit quam videri poteras, ſi Tibi iniquior fortuna in Societatem publici laboris alios adſciuiſſet. Quos in Repub: nouimus Heroës, ſupra inſignem generis claritudinem, ingenio etiam, doctrina, & conſilio maximos, illis Te ſocium tanti operis dedêre Tua fata; vt cum ijs venires in contentionem dignitatis, qui longo tot alios poſt ſe interuallo reliquerunt. Nimirum & Tu eras, qui hanc Tibi vendicares laudem, tantumq; poſſes animo, vt de illa meritò cum Maximis certares, facileq; aſſequereris pari curſu gloriæ, vt quos ij poſt ſe reliquiſſent Tu longe anteires. At Tu in hac fortunâ Tuâ, eam Tibi legem poſueras, vt beneuolentiæ inprimis ſtudijs atq; omni officio nulli ſecūdus eſſes, neq; aliā magis cuperes adoreā quā humanitatis. Quid? quod

 mini-

minime verebaris, quod imbelles solent, ne depositi laboris onus; incumberet in eum qui prudentia, virtute eloquentiâ, alijsq; id genus animi atq; oris ornamentis, facile cum principibus certaret: adeo etiam optabas illum tutelæ fidei publicæ admoueri, in quo hæc summa essent: securus Tui eras, ne metueres ab vllius luce vmbram splendori Tuo. Et est profecto quod possit suspici, splendorem Illustriss: Successoris, nihil adeo de Tuo diminuere, vt hic etiam euidentius faciat luci Tuæ argumentum. Tantus ille est, quantus prima Reipub: firmamenta tueri meruit, sua verò magnitudine ad miraculum insigni commonstrauit, Te nulli secundum esse. Ea enim est Tua Magnitudo quæ descrescere nunquam magnitudine aliena cominus obiectâ possit. Oportuit tam sublimem animum, tot decorum capacem non profanis tantum Patriæ curis exerceri, ne quid eius amplitudini videretur deesse, si ciuilibus tantum negotijs, veluti limitibus angustis clauderetur. Iniuriam queri potuit Ecclesia si Te sola ciuilis Respub: ita tenuisset, vt solicitudini sanctiori admoueri nollet. Quanquam ea ipsa est Sanctissima voluntas de Republ: merēdi, agere, quod bonum ciuem, quodq; inprimis Senatorem & iuris publici libertatisq; custodem decet, vixque inter minora officia censeri debet, quod Patriæ pietate, quam quod religione DEO impenditur: mirabili nihilominus æquitate simul expendisti, quod Ecclesiæ debere poteras, neq; ita pius esse in Patriam voluisti, vt careret Ecclesia officijs Religionis Tuæ. Senatoris illud Nomen quod Ecclesiastici Honoris insigne est, adeo impleuisti meritis vt Senator tantum videreris: inter insignia Senatorij honoris tantus fuisti Pontifex, vt primas sibi apud Te vendicarent curæ, quas Nomini Pontificio debebas. Pugnasti consilio ac virtute pro focis, vt Se-

nator:

nator: vt Pontifex pro aris. Vtramq; collegisti laudẽ in hoc vtriusq; laboris curriculo, atq; id meruisti vt stetisse semper gloriosus Athleta censearis pro aris & focis. Vtramq; Tibi rempubl: Sacram ac Ciuilem dico, vidimus incumbere adeo, vt magnus vtriq; Atlas videri possis; Maior etiam Atlante, qui cælo simul humeros subieceris ac terræ, quando Reipub. vtriq; subiecisti. Habes Magni operis Domesticum ex genere Collegam Illustriss: Luceoriæ Antistitem ANDREAM GEMBICKI, qui vt egregiè implet omnes numeros Pontificis ac Senatoris: ita, magno accessu ad cumulum gloriæ Sanguinis Illustriss: meretur, vt huic ipsi Sanguini debeamus alterum Sacræ ac Ciuilis Reipul: Atlantem. Gemina dicerem Cæli ac terræ sidera, nisi iam ante oculos haberẽ quos à me taceri nollem, plures non virtutis minùs, quã sanguinis consortes pro sua quemq; parte Magnos laboris vtriusq; Socios & auxiliares. Nam quem ego Te memorem STEPHANE GEMBICKI, Palatine Lanciciensis qui nunc summa Iudicia tanti Imperij inter Proreges summus Prorex moderaris; de iure ac legibus oraculo decernis: vitam, salutem, ac fortunas Ciuium, iure, ac iustitià dispensas? Quem dicam IOANNEM GEMBICKI, quem sua insignis Virtus Regni Secretorum custodem legit, proximè Illustrissimis Honorum argumentis, testimonium datura summæ tanti animi dignitati? Quis ille videri possit CHRISTOPHORVS GEMBICKI Princeps mensæ Regalis Dapifer qui reipubl: onerum magnam partem subire voluit, quod salutem Principis, inter auxiliares vitæ curas, tueri meruerit? Quis, vt nominè, sic virtute fortunatissimus BONAVENTVRA GEMBICKI, Stauiszineñ: Capitaneus illustris. In quo ob eximium integerrimi viri candorem nescias, vtrùm maior fuerit priuatæ fortunæ moderata conditio, an flo-

 rentis

rentis ſplendida moderatio, an vtriuſque cumulata cum laude poſſeſſio. Quid alij (tam illuſtria nomina!) quos ea inprimis cauſa nominare nolim ne parum ijs à me officij impenſum ſit, ſi tantum meminero quorum eximia dignitas integros Magnorum Oratorum labores meretur. Sed hæc de Repub: vtraq; ſtudia merendi, veſtra ſunt inprimis Germani Eccleſiarum Principes, qui Patriam vtriſq; partibus coniunctam, ita in vtroq; foro, conſilijs ac viribus animi ſuſtentatis, vt videre mihi videar rediuiuam in vobis, memorem apud ſecula Pietatem, quæ Maternos olim currus collo atq; humeris filiorum, virtute ac ſanguine Germanorum adſtrinxit. Pergerem diutius indulgere Orationi per hæc cōmunia Illuſtriſſ: Sanguini ornamenta diffluere geſtienti, meq; abripi paterer curſu laudis, quam Tibi Illuſtriſs: Antiſtes cui nunc debeo impendo, dum impendo Tuis; ſed me totum Tibi vnus Tu vendicas, vnus inſtar omniū maximis Panegyricis ſuffecturus. Tu mihi adeo vtriſqué in Patriam ſtudijs videris effeciſſe, vt elogio diuino currus Patriæ audire merearis; iure ſanè optimo qui negotia ſalutis publicæ foris etiam & in hoſtico Tecum circumtuleris. Verum ego Te non iam alium quam Pontificem compello, in quo vno Nomine multa Te ingenio, ac virtute decora video complexum eſſe. Illud primum Tuo Honori Pontificio veluti æternâ lege ſtatueres, vt verè Sacerdos eſſes, & continuo vſu tanti nominis teſtareris, ciuilibus Reipub: negotijs animum ſui non immemorem diuelli à ſacris non poſſe. Pontificio Tuo verius ex more perenniter operatus, feciſti pro Patria, Principe, ac Ciuibus, his præſertim quibus fidem Paternæ ſolicitudinis dederas vere omnium Amicus ad Aras. Quodſi mihi fas ſit adyta ſecreti conclauis Tui, non perluſtrantis ſtudio, ſed officio venerantis adire, quid

quid hic non Pontificum animo atq; oculis obiectum videro? Poterat capax animus complecti immensam propè multitudinē ac molem diuinarum humanarumque rerum: poteras efficere Magnitudine virtutis vt cū totus humana agere videreris, totus intenderes ad diuina: &

Diuisum imperium cum Ioue Cæsar

adeò semper habuit apud Te, vt neutrius iniuria expenderes vtriq; totum quod debebas: ea nihilominus curarum libratione vices ac tempora digerere volebas, vt cum semotis arbitris ageres, verè solus ac tecum tantùm esses; aut veriùs non solus, quod cum DEO versareris. Testor illius mensæ Sanctitatem, neque enim vtar eorum fide quorum conscientiam appellare possim: illam ego penetralis Tui testem appello mensam, quæ non alia priuatim Tuo animo oblectamenta dabat, quàm quæ à Cælestium rerum studijs peterentur. Hic Tibi syncera sanctaque relaxatio animi à tot curis, quæ Te totum distinere vellent: fatigare poterant, nisi in Te incidissent: hic animum non nihil à publico seductum ijs præsidijs armabas quibus egregiè instructus tantarum rerum negotia validior adires: hic vsu ac consuetudine meliorum à cælo voluptatum illum accendebas ignem, qui Pontificium exardesceret in zelum. Et sensit profectò flammam sedes illa quam primam adieras, Teque Pontificem agnouit, qualem optare debuit, si ambiret primas Sanctitatis. Adeo nihil à Te solicitudinis Pontificiæ desiderare potuit quod ei non abunde impenderes: plus etiam impendisti quod plus à Te Tua virtus exigeret quam necessitas Tuorum. Atque hoc admirandum magis est quod cum vniuersæ Patriæ cōmodis Teipsum dedisses, affixus Capiti, à quo hæc latè promanarent, poteras videri non abesse ab ouili Tuo, quod cura & stu-

dio virtutis viuus Paſtor animabas. Sed hoc quod me-
ritò mirandum videatur, in Te non miramur: mirare-
mur niſi de hac virtute Tua diceretur, cui ex vſu Solenni
eſt, id agere, quod plerumq; rarum eſt. Hic Te ſenſi-
mus tantum animo potuiſſe, quod videre nuſquam, ma-
gna eaque perſpicax Philoſophorum cohors potuit, vt
ageres, imò animares in diſtans. quanquam non diſta-
bas ab ouibus: aderat ijs Tua anima magis etiam quam
Tuo corpori quod animabat: aderat: quod Paſtoris ac
Patris affectu amaret. Quis Tibi tunc ô Premiſlia hoc
etiam nomine fortunata quod Antiſtitem habueris
PETRVM GEMBICIVM, quis inquam Tibi ſen-
ſus, cúm primum famá tenui acciperes Te Pontificem
habere quo carendum ſit? propè erat vt doleres habu-
iſſe, ſi cognitæ virtutis abſentia tantùm erat doloris al-
latura, quantúm præſentia voluptatis dabat. Verum-
enimuero, tanti erat vſus parui temporis vt abſentiæ diu-
turnæ lachrymis ac dolore meritò emeretur. Neque
hic nouus Premiſliæ aut metus dolor erat, cum primum
Te diuinitus latiorem in Campum meritorum voca-
rent. Attuleras illi hanc Virtutem aduentu primo,
quàm ſimul conſpexerat, dixiſſet iure meritò quod non
neminem ſimili argumento in re diſſimili dixiſſe memi-
ni; aliud Tibi maius ô Præſul regnum quære: Premiſlia
Te non capit. Fuerit deinceps illi magnum hoc ſola-
tium orbitatis meminiſſe virtutis ac dignitatis Tuæ Te-
que memoria perenni animorum circumferre non ſo-
lùm doloris lenimento, verum etiam exemplo probi-
tatis. Et Tu quidem Fide ac virtute Tua tàm præclarè
de ea meritus noluiſti, tum mereri tantùm cum dotali
annulo addictam deberes Fidem Sponſæ Tuæ: eò etiam
intendiſti animum, vt diutiùs mereri pergeres. Nam
quid Conſilij Tibi fuiſſe putem, cum Eccleſiaſtici labo-
ris ad-

iutorē, ac porro ſucceſſorem quæreres, in quem tranſfunderes affectum Spōſi, aut ſi aliò fatis vocareris, quod ſemper Tua dignitas Tibi ipſi poterat ominari, relinqueres in hærede animum pari pietate in Sponſam effuſum? Ac ne tantùm quæſiſſes, inueniſti profectò virum, de quo quidquid animo præceperas nihil omnino vanâ ſpe, aut ſolâ opinione præcepiſti; Talem reperiſti, qualem animo Epiſcopum fingebas, aut cuius vel neſciens ferebas optimum exemplar Teipſum. Multa hic virtutis Tuæ argumenta vidimus, cùm ſimul & Eccleſiæ Tuæ cuperes quod illa optare debuit: & cōmunem faceres honorem Tuum virtuti alienæ: & prudētiæ inſigni commendatione adeo non errares deligendo, vt non tam ipſe delectum feciſſe videaris quàm delectum Cæli comprobaſſe. Quid? illam non admirabilem exiſtimem animi moderationem quâ honores Tuos in aliam potius Domum effunderes quàm Tuam? Non deerat quem præ oculis habebas Domi Tuæ, de Te, de Principe, de Repub: diu optimè meritus, eximijs magni animi dotibus iuxta ac Sanguine germanus Tuus Magnus Regni Secretarius, qui grauiſſimis Reipublicæ oneribus, æque ac honoribus maximis pares humeros ferebat: poteras ſi non Sanguini, at germanæ dignitati Tuæ velle vt in hoc honorum curſu feſtinatiùs ad metam pergeret, neq; lentiores ijs paſſus facèret, quos animi decoribus æquauit: ſed Tu Tuis fatis, hoc eſt ijs rationibus germanum viuere voluiſti, vt ſerò capeſſeret honores, quos diuturna ſtudia bene de Repub: ac Principe merendi pararent, & hunc ſibi maximum honorem vendicaret ſolâ caritate Patriæ omnem illi operam ac vitam impendere. Erit nihilominus illud tempus, quod matura iam pridem dignitas maturari meruit; cum ille Tuis paſſibus vt cæpit progreſſus,

compendio colliget laborũ fructus, per varia Honoris diuerticula diſperſos. Interea Tibi in Nominibus adſcribit alium Heredem Tuæ dignitatis Premiſlia, nunc etiam, poſtquam alteri pacta eſt, Tua affectu. Oneratam ſe Tuo ære ſentit, quod Tibi non ſolum Tuas, verùm etiam heredis virtutes debeat: numerat, ac deinceps numerare perget in debitis, quibus eam obſtrictam teneas, quod illum optaueris, in quo Te ac dignitatem Tuam ipſa ſuſpiciat: vnum illud non ſine ægritudine animi perſenſit, Tuam hanc, ſi qua eſt, noxam fore ſi citò nouam orbitatem ab ipſa dignitate viri longè Maximi pertimeſcendam putet. Nempe Tu eum Premiſliæ optauiſti, quem dignitas & virtus diu non in ſummo tenere erubeſcat. Sed ea eſt Tuæ in Eccleſiam Pietatis magnitudo vt quidquid vnius animi compendio comprehendi poteſt malles ei ſimul in herede velle vel ad exigui vſuram temporis, quàm nolle cupere quod optimum videres. Hæc illa Tua eſt Pietas quæ quod eſſet Maxima tamdiu videri poterat anguſtè habitare dum illius Eccleſiæ limitibus tenetur. Prodeundum illi tandem fuit in hoc publicum magnâ luce prælustre, in quo ſane ipſa Horizontis ac lucis vaſtitate, ita omnia facile decreſcunt, vt nihil hìc magnũ videatur quod nõ ſit Maximũ: meritis tuis cãpũ Parẽ ingredieris, in quo, vt parum fuerit deſudaſſe virtuti Tuæ, nobis tantùm deſudaueris, vt plus deſiderare à Te nemo poſſit. Nam vt magnitudinem miramur Solis, atq; hanc illius lucem quâ fruimur, videmus anguſtè habitare, ſi rem domicilio metimur: amplè, ſi menſuram domicilij definimus; vniuerſitatis vſu: ita dum Te Tuamq; hanc virtutem adeo illuſtrem circumſcribimus non ſolâ magnitudine, ſed noſtrâ vtilitate, terminum quem debemus noſtris vſibus præfinimus non virtuti Tuæ.

Tibi

Tibi equidem nullum non anguſtum domicilium eſſe debet, ſi Teipſum ſpectes; quod ad eam dignitatem ſuccreueris, cui anguſta ſit, ipſa orbis Magnitudo. Patere non inuitus, has fortunæ anguſtias quæ cum amplitudini Tuæ, parem locum reperiret nuſquam, eo Te indigenam felicem collocat, quo non poſſet ampliorem figere Tuæ dignitati ſedem. Dabis Tu hoc etiam in Campo Magnarum argumenta virtutum, facieſq; quod Magnam lucem anguſtijs incluſam decet, vt ampliſſima Tua dignitas, tantò hic illuſtrius ſeſe euibret in ſplendorem, quantò anguſtioribus adſtringitur terminis quibus ſe impendat. Habemus præ oculis Pontificiæ virtutis Tuæ prima rudimenta, cùm non vſu Sedis, aut Honoris agnomine, ſed curâ & ſtudio, hanc ipſam Eccleſiam Tutoris officio ſeruares: meminimus nihil à Te potuiſſe deſiderari quod nomini reſponderet, præter ipſam dignitatem Nominis: vidimus Te iam Pontificem fuiſſe animi virtute ſingulari tametſi nondum dicereris: feceras ſcilicet Pontificiæ virtutis Tuæ imaginem, cuius memoria & quaſi perpetuo aſpectu cuperemus Pontificem Teipſum, talem equidem qualem illa imago referebat: At Tu ipſe parum Tibi videbaris allaturus meliorum decorum huic ſponſæ, ſi non auctam incrementis maximis tot annorum curriculo virtutem afferres: eumq; illa pridem Te ferret animis, pridem optaret votis, feſtinare aditum nolebas, niſi tot meritis augeres dignitatem Tuam quot momentis temporum vitam ipſam auxiſti. Neq; Tu hunc Tibi definis terminum meritorum, diu partis ornare nouam Spartam; Eo animo has ſedes ingrederis, vt prima Te afferre virtutis rudimenta exiſtimes, quæ nouis acceſſionibus augeas: cumq; tam maturam dignitatem in hoc Ma-

gnum

gnum ſanctitatis Domicilium Diuis etiam ac Cæleſtibus habitatum inferas, accingis animum nouis ſtudijs virtutis. Talem ſibi Cracouia optare potuit; vt ſperaret etiam, vnum illud profuit, quod Te ſupereſſe ſciret: talis egregiè imples deſideria orbitatis morte maximi, Tuique tot nominibus Antiſtitis, illatæ: talem Te omnes accipimus, atque ijs animorum gaudijs læti complectimur, quibus magis proueheris in Tuam Sedem quam ſubſidijs phaleratis. Talem Te vt diu habeamus Deum Opt: precamur: habere vellemus ſemper, niſi Tu optares aliam immortalitatem. Patere vota noſtra, illumq; immortalitatis vſum, quod nos cupimus, tamdiu differri ſine, dum Eccleſiam hanc Tuam Sanctitate floridã Virtutibus inſignẽ, tã, grauis annis & maturus æui recrees, quàm Te maturum meritis ac virtutibus videmus.

VITÆ POLITICÆ
ET
ECCLESIASTICÆ
NEXVS.

ILLVSTRISSIMI & REVEREN:

PRINCIPIS.

Moribus Virtutibusq; expressus,

AC

Trabeato Procerum Domûs Gembicianæ comitatu

ILLVSTRIS.

NVNTIA vittatos taceat Cyllenidis orbes
Fama, nec Herculeæ Tyrinthia facta catenæ
Detonet, Argiuo Phidioq; per ora, per vrbes
Plena supercilio: quamuis fortasse timendum
Flexerit in casses, aurato tramite Numen;
Et licuit vigiles pigri tenuisse Bootæ
Nexu vtroq; manus. Maiora cacumine Craci
Belligeroque Lechi miracula surgere campo
Audiat, & seræ transmittat ad vltima Thules.
Eia triumphalis mecum iuga celsa Vauelli
Sidereis inuecta rotis Astræa reuise.
Tu quoque prælustri circumstipate Senatu
Rumor ades: pulchrâ satiandus imagine rerum.

Vt GEMBICIANO ſublimis FASCIA cælo
Vltra Amphionias fertur velociter arces
Gemmato temone ſedens! vbi clara Triumphis
Magno Atauûm comitata choro ſe priſca Vetuſtas
Porrigit, inſignes numerans ex ordine Geras.
Poſtquam ZADZICIVS Craciæ diadema Tiaræ
Exuerat, patriamque RATEM feralibus vndis
Merſerat, & meritas Præſul viduauerat aras.
Mox Proauûm Crinale decus, mirabile textum
Extulit Heroum Genitrix: quod diues Honorum
Ipſa ſuo quondam GEMBICIA Marte vetuſtas
Fecerat, & patrio variârat ſanguine telas.
Vix operam memorem! qualem nec ſtelliger olim
Balteus: inſomnis nec diuite Colchidis antro
Viderat Æſonides. Non tactas vellera Mitræ
Viſa præire niues acijs: quas plurima circùm
Purpura nodoſis radiat variata figuris.
Auget acus pretium. Cælata ſuperbit in auro
Mutua Poſteritas; Serieſquè veterrima rerum
Per tot ducta Patres antiquâ ab origine ſurgit.
Tum ſubiecta polo viduos quà Præſule Faſces
Suſpiciens Cracij ſtellata Pronæa Trionis
Omnia venturæ proſpectat ab axe Tiaræ,
Iactat opus. Stupet illa. Dein mirabile Peplum!
Diſpicit, attonitam flectens ad ſingula mentem
Ac tandem ſcitari ardet: Quid ſyrmatis orbes?
Quid Crinale notet? lateat quod imagine Fatum?
Dicam equidé, nec te ſuſpenſam Virgo tenebo
Suſcipit Heròúm Genitrix: ac ſingula pandit.
Ille tiaratæ radiant cûi vertice Criſtæ
Summa tenet Patrij NEXVS, ſeu peruigil ambit
Excubijs Regale latus: ferrique, togæque
Stat celer obſequijs, Regum decreta ſecutus;
Seû calami, ſeu arma vocent: ſéù fætaTiaris
Eſt humeris moles: & vix tractabile pondus
Implexi trabeis FASCES, aulæq; Curules
Pontificum grauidæ vittis; dum regius aulâ
Armiger emeritum Gneſnenſes ducit ad aras.
GEMBICIO nixus vittati Anadematis orbe

Vnde

Vnde genus seros descendit ad vsq; Nepotes.
Proxima Vittato Luceoria fulget Achate.
Patria quem Pietas, et regni rara procellis
Explorata Fides, & nudi conscia veri
Virgo, verecundusq; Pudor, frontisq; Serenum
Et Recti tenor, et domitrix prudentia fati
Volhynicas gauisus Honor, deduxit ad aras.
Illius attonitos decretis stare Quirites
Nouimus; hæreseos seu libertate Polonâ
Vota ferit regnoq; cauet, seu bella proteruis
(Transeat in Latios vt Roxia subdita ritus)
Bellator decernit agris: seû Arbiter vnus
Litibus accedit: mentes et corda triumphans.
Ponè Palatino splendet Bellator in auro
GEMBICII soboles NEXVS: quam prouida vitæ
Inter sanguineos aluit Cunina Maniplos,
Aptauitq; manus Clypeis; & Casside frontem
Induit; & Geticis vestiuit brachia telis.
Nec pauidum ferri, post ardua bella Strategum
Educit castris Mauors, ditatq; superbis
Fascibus, vnde suas iactat Lencicia clauas
Illæ autem paribus quæ surgunt Numina fastis,
Illustres animæ, Regum momenta secutæ
Imperio parent hilares, ac iussa facessunt.
Ille Dapes Mensis & Regia pocula miscet
Aulæumq; tenet Domini: velut Armiger ales;
Hic momenta refert, Regisq; Oracula pandit
Officijs Atauos, GEMBICIA fata secutus.
Vis et venturos Comites, animasq; sequaces
GEMBICII NEXVS, serosq; videre Nepotes?
Olim qualis erit seriem iam suspice. Cernin?
Quantos arma ferant! quantos Patrita Senatûs
Palla tegit: fractos antiquo Marte Gelonos
His subdit Fortuna potens: Hi calce tyrannos
Hi Dacas feriunt armis: His subditur Ister
Et coniurati veniunt in vincula Ciues:
His æterna Lechò vittantur in orbe trophæa
Imperium terris, animos æquantibus astris.
Huc geminas, huc flecte acies, has cerne Curules

 Ponti-

Pontificemq; tuum; quo non illuſtrior alter
Syrmate GEMBICIO. pauor eſt inſignia laudum
Imparibus cecinifſe modis. Vix Mantua poſsit
Exæquare tubis ſtlataria ſuppara Vittæ.
HIC VIR, HIC EST. quem fata ferunt, quē ſidera ſpondent
Cracigenis; Tibi quem promitti ſæpius audis
PETRVS GEMBICIVS. Diûûm Genus. Ipſa Parentis
Infantem tenuiſſe toro GEMBICIA VIRTVS
Fertur & emeritis Cunas ſtrauiſſe Tiaris.
Ipſa togam Pietas teneris prætexuit annis.
Ipſa Pedo facilem dextram, Mitriſq; SEVERÎæ
Formauit iuuenile caput: mentemq; togatam
Indidit: & Patriâ formauit imagine vultum.
Conſilijs animum ſtabiliuit maxima rerum
Arbitra, cûi celſas dederim, Sapientia, laudes,
Et Themis: & Lechicæ nutrix fidiſsima Terræ
Priſca Fides, longis quam Gens GEMBICIA ſeclis
Continuat, ſerâq; Patres in prole perennat.
Et iam tunc habilem Vittis, iam ponè Dynaſtæ
Errantem ſolium, (Diûûm ſic Arbiter vrget
Sic placuit cælo) Virtus inſcripſit Honori.
Accepit Comitem & magno gauiſus Alumno
Sceptripotens, Crinale Decus, Regniq; Sigillum
Annuit, & faciles promiſit Principis aures;
Et Præmiſliacæ diademata Prima Tiaræ
Obtulit, & Cracias tandem iubet ire Curules.
Non tamen hîc Pietas ceſsit, Probitaſq; ſecundis
Intumuit: tenor idem animo, moreſque modeſti
Fortunâ ſurgente manent. Regit omnia virtus
Præſulis, hortaturq; ſimul, flectitque labores. (Irus
Hinc comes eſt lateri Polydora, hinc crebrior
Dona tulit: placido hinc ſpirat Moderatio vultu.
Hinc fandi ſedet ore lepos, hinc Attica linguæ
Copia, Sarmaticum demulcens voce Senatum.
Dixit: &extemplo Vittatum frontis Honorem
Induit, Aſtrææq; comas obnubit amictu.
Multaq; præterea trabeatæ inſignia Mitræ
Addidit, & longas cælo iubet ire cohortes
Hinc illinc niueis, bifidi de vertice montis
Accur-

Accurrit Pimplæa cohors, vittata Corymbis,
Et socio frontem gestit prætexere peplo.
Inde cruentatis armatus brachia peltis
Bellipotens Cracium vittato pegmate sidus
Suscipit, & patulos emensus Atlantis olympos
Lætior in paruo NEXVS concluditur orbe.
At Generis Patrij lumen pulcherrima Virtus,
Nobilitas, placidoq; Comes Clementia vultu
Et quæ sidereos inspirat pectore sensus
Relligio. vt primum liquidâ despexit ab æthra
GEMBICIOS NEXVS meliore nitescere cælo
Ilicet exiluit' rapidisq; citatior astris
Prodijt; & patrios non dedignatur Honores
Sarmatico mutare polo, mutare Tiaris.
Quid referã quantis GEMBICIA Fama triumphis
Insiluit NEXVS, vno dum cerneret Orbe
Vinciri superos; & longo Numina duci
Agmine, nec Lechicos laqueum vitare Dynastas.
Vltima Vittatum Libertas agminis Orbem
Continuat, Craciumq; iugo submisit Honorem
Et Mitram, Claues que tulit. Certatur vtrinque
Officijs. Tum læta phalanx, superique sequuntur
Lataque concursu stipant fora, dixeris aulam
Numinis, et superis viduari Ciuibus vrbes
Vsque adeò celebris Diuorum Curia feruet.
Quos simul ac læto conspexit Lechia vultu
Substitit. & tacitis hæc addidit. Ite frequentes
O superi! Craciosq; super diuertite Campos
Lætius haud vnquam Lechicas hæsistis ad aras.
Finiit, & famulum præmisit ab axe Ministrum
Magnus vbi tenuit Regalia tecta Senatus
Cracigenûm qui fata legant. Huc penniger ales
Aduolat, et, dubijs Antistitis intimat omen
Patribus. Assensêre polo. Parentq; iubenti
Heroes Capita alta, DEO. Craciæq; Tiaræ
Demittunt animos. & PETRI nomen adorant.
Nec mora Cracigenum subeunt miracula mundũ
Quæ superos tenuêre diu. Nam Cracia magnum
Vel Protyron cæli est, vel ducta colonia Cælo.

Vſq; adeò ſimilem ſe plauſibus ornat Olympo.
Eſt via quam patulis Clepardia diuidit agris
Et Promnicanæ ſcindentem limina portæ
Auguſtum ſuperis deſpectat vertice Templum.
Inde ſuper teritur pontes; tum flexilis vrbem
Infertur Craciam: Raroq; nitentia luxu
In varias reſecans Patrum Prætoria, partes,
Ardua conſcendit ſacro Capitolia cliuo.
Hac iter: huc magnis funduntur Ciuica tectis
Agmina, turbarumq; leuis velut aggere rupto
Præcipiti veniens curſu fremit vnda: ruitq;
Spectandi ſtudio; nec ſe capit ipſa, ſed vrget
Acrius, & refluas tentat præuertere turmas.
Ecce autem patrio latè ſpectabilis auro
Inuehitur Myſtarum humeris, animiſq; Quiritum
ANTISTES. Prô quale decus! quantumué ſerenæ
Maieſtatis habet! Sacræ quæ gratia frontis
Quiſue habitus! niueis intermicat aurea Vittis
FASCIA GEMBICII generis decus? emicat altum
Faſcibus auratis: trabeato vertice Mitræ
Raraq; Præſuleo ſplendent diademata collo.
Fulgurat oris honor. Celſas quocunq, Curules
Dirigit, acclinem ſubmiſſo poplite frontem
Ponit adorantûm populus: feſtoſq; per Vrbem
Ingeminat plauſus; reſonant Pæanes vbiq;
GEMBICIVM: veteriſq; canunt ab origine vittæ
Omina: deque ſuis inſtaurant Præſulis annos.
Ipſe etiam Gracij longæuus Conditor orbis
Aſpectat proprio tantum conſurgere cælo
Numen: & incultam ferali pulvere barbam
Detonſus, Vittæq; Orbes indutus honoros
Attollit vultus Vauelli colle, ſalutes
Mille vouens Cracus: grandiq; hæc voce profatur:
Macte Sacris Princeps titulis, abſiſte morando
Viribus indubitare Tuis. Tibi Cracius olim
Debebatur Honos; Fortunæ ſecula mecum
Qui reparare potes. Vno dum FASCIA Nexu
Aſtrææ delata manu, ſimul omnia cælo
Numina reſtituit, Cracijs procul abdita terris.

Ergo

Ergo dum faciles demiſsi pectoris alas
Præſulis ante pedes generoſa Croacidis Ales
Explicat: inque Tuo geſtit ſplendeſcere NEXV.
Eia triumphales vittatâ fronte Corymbos
Accumula, niteatq; nouis Tua FASCIA vittis.
Sic Cracus. Clauſoq; deîn ſe colle recepit.
Tum ſuperi cecinère chori, lætumque dedére
Viue Polo. Subijt tandem poſtrema Dearum.
Acceſsitq; comes, mouitque in vota Tonantem
Relligio: premeret longæuis ſecula faſtis;
Annuit. & longos promiſit Iuppiter annos.

FELICITATIS NEXVM

ILLVSTR: & REVERENDISS:
PRINCIPI.
Summa in Rempub: Merita
ADORNANT.

Sileant antiquæ voces importunis queſtibus fluctuantem in Aulis non rarò, multorum ſortem, improbantium. Fortunæ quisq; faber eſt ſuæ. Quanquam, nec ipſum virtutis precium pro gratia oblatum, Principem quandoq; conciliat, ſi hanc ille, viliori quopiam nummo, velit eſſe venalem. Diues proinde meritis in Aula GEMBICKI Liberales virtutum præmijs SIGISMVNDVS & VLADISLAVS. Vterq; largè ſuppeditauit Marmor, ille virtutem applicuit & artem, quâ fortunæ Coloſſum, ſibi ipſe erigeret. Cerne igitur (Iuis nimirum meritis ſubiugatâ fortunâ) virorum Fortunatiſsime. Cerne iam quãtorum Regum præmijs, hoc eſt manibus, quantis Virtutum Laborumque tuorum pro Publicæ rei bono NEXIBUS Fœlicitas iſthæc Tua texitur,

ERGO ne Vittatos iterum reuoluta triumphos
Fascia restauras? antiquis inclyta Gemmis
Nomina, Cracigenæ nodo vinctura tiaræ:
Scilicet illa tuæ Præses virtutis auitæ,
Magne Patrum Antistes Texturæ lumen amicæ
Vnum Te Gemmam conata plicatilis auri.
Nectere luminibus, per Te, Tua gesta recenset.
Vix bene mellitæ iuuenis penetrabile limen
Vicisti ætatis teneriq; crepuscula sensûs;
Cum tibi, iam faciles cælestis Dædalus alas,
Alta per Heroæ cursuro stemmata Gentis
Gembiciæ expediit, mentem formauit anhelam
Aèra per medium, sûus illam Spiritus auxit,
Exciuitq; solo patrio; cum sole calentes
Terrarum populos repetis, Gentesq; remotas:
Et nunc Teutonicis, Italis nunc aduena Regnis
Hospes ades, rerum spolijs ornatus opimis.
Hesperiæq; omnes vtroq; ab littore Gentes,
Miratæ Lechicum iuuenili in Pectore solem:
Nunc domiti Per & alta maris molimina puppe
Vela facis, tractusq; maris Tyberimq; Padumq;
Visis & Adriaci cum Principe mænia Nerêi:
Ipsi te gestant zephyri famulantibus vndis
Tritonesq; cohors Tyberinis grata fluentis
Prodiga verborum, vittatas verticis Algas
Sponte dedêre tibi, venturosq; ordine Fasces
Nec tamen interea cepêre obliuia mentem
Nutricis Lechiæ; maioribus integer annis,
Pulchra coronatis onerabas carbasa sertis
Consilij diues, grauis experientia nutu
Cætera signabat, surgentibus obuia cæptis
Et magno arcanos nodabat pectore sensus:
Aurea virtutum soboles penetralibus altis
Æthereas mutauit opes, terrestribus aruis;
Pro cælo pectus, pro templo diuite, mentem
Incolit vna Tuam; moderata per ardua gressûs
Augurium fatale boni, præit ipsa sequenti:
Atq; emensa vias, Lechicis Te sistit in Oris
Et Calcanda Tibi signat Vestigia nutu:

Dumq;

Dumq; pedem Comitis, pariter pede feruidus vrges.
Expressoq; præis passus, Maioraq; tentas
Vidit Te Lechus, Patriæ vigil armiger oræ,
Et procul obtutu Natum est dignata fideli;
Vultu bellanti similis caput imbuit auro
Armaq; fulmineis iactans victricia rostris
Explicat hinc, geminas Mauortia signa per Arctos,
Inde catenatos terrens mucrone Tyrannos
Ante pedes, victasq; vrbes, Gentesq; subactas
Imperio frenat, Spolijs ornata laborum:
Vt stetit ante oculos, primisq; obtutibus vltro
Eminus arrisit, mox altæ frontis Honores
Deposuit, tandem propior complexa pauentem
Lætior, & Salue Lechici Spes vna Trionis.
Magne virûm! dixit, magnæq; propaginis Heres,
Iam dignam factis Maioribus excute mentem:
Cernis, vt Illustres nutu Sismundus in arces
Te vocat, & paribus venientem amplectitur vlnis
Dextra VLADISLAI, venturi Gloria sceptri;
Perge sequax, quo fata vocant & grande potentis
Principis imperium, sacrique effata Senatûs:
Sic ait, & postquam rerum signacula pandit
Deseruit, paribus librata per àéra pennis.
Vix mandata subis victoribus aucta Trophæis
Sceptra Secuturus Regum, dominasq; secures,
Arbiter ille Ducum prono SISMVNDVS honore
Cum Te prosequitur, lateriq; addicit Herili.
Mox Athlantheos animos, & nobile collum
Subiecit Regno VLADISLAVS, auitaque frontem
Extulit in serta, & pondus Venerabile Honoris,
Arbitrioq; dedit Procerum, pulchræque decorum
Ius libertatis, secretaque claustra Senatus:
Tunc placida lites recti positurus in Arce,
Æquo pensabas vtramque examine lancem;
Qua parte incubuit pondus, cecidêre tumentes
Insidijs rixæ, propriâ sub mole gementes:
Sponte animum spectata Fides, Astræaq; vultum
Insedit, meritæ cumulans præconia laudis.
Nec latuêre oculos ingentia semina rerum
VLADISLAE Tuos, nouus hic cum peruigil Athlás

G Ipse

Ipse vices iam tunc animo, bellique Togæque
Complectens, subitis occulta oracula fatis
Obiecit, propriaque hostem delusit arenâ;
Luna cruentatos seu Thracica ventilet imbres,
Seu Prussos, Liuonesque Gothus prædator oberret,
Truxue Boristhenijs Aquilo desæuiat vndis:
Siue Zaporouio furor implacabilis æstro,
Arma ferat, technas fidei mentitus auitæ,
Stillantemque rotet ciuili sanguine dextram,
Per medios Procerum cuneos, horrendaque ferro
Pectora, mercatus propriâ sibi cæde ruinam;
His obicem sese generoso Fascia nodo
Sæpè dedit, trepidis dextram largita ruinis,
Mille docens prænosse vices, casusque tueri.
Nunc mihi si quis adhuc tentatur Apolline sensus,
Talem Te memoret, plenoque effingat eburno,
Qualis eras, quando profugum Te prona vocabat
Regia Sacrorum, turritaque cingula Gemmis:
Cum Tua Te Lechias, luctantem & multa precantē,
Inuitante manu, Diuino inscripsit Honori,
Hic, vbi Pontificum seruat Premislia Fasces,
Pannonicis vicina iugis, cæloque propinqua,
Turritos digitis orbes, mitræque pyropos
Appendit capiti, frontemque plicatilis auri
Maiestas auxit, vultum Regina potestas
Cum subijt: vel cum Gemmâ maiore coruscans
Infula, Cæsariem, bysso flammata recocto,
Grande decus capitis, pondus leue, circumfulsit;
Cum votis maior, mens eluctata secundis,
Augusto adsciuit solio obluctantia membra:
Pronuba cùm cælo, Diuini roris odorem
Ales, in obstantes operosâ aspergine vultus,
Inque oculos, & in ora tulit, cælestia dona:
Cum fidei, iustique tenax, fraudumque malarum
Ac scelerum vindex, sacris iam audentior armis
Et mores hominum, domitas & iura per vrbes
Exerces, rebusque potens succurrere fessis,
Læta per illustres, signabas tempora fastos.
Nec tamen interea Regalis prodigus Aulæ
Deseris altrices Aquilas, Regnique Tribunal:

Non

Non mole obrueris curarum, sufficit vsus,
Sufficit ingenij vigor, Infula sufficit auctæ
Virtuti, pretiumque Tui meritumque laboris:
Stat pro Rege animus viuax & mascula virtus,
Siue is deuicto celebres super hoste triumphos,
Victor agat; trepidis seu exhausta Liuonia bellis
Collisa ceruice gemens, ferale perosa
Dissidium, Lechicas supplex venerata Curules
Submittat Domino famulantia colla triumpho;
Seu regnaturis sibi prouida Moschua sceptris
Detestata malæ fidei periuria, Regnum
Iungere læta velit, nexu stabilique dicare,
Te petit Arbitrum pacis, Te flectere doctum
Pectora, & ingentes dignum cognoscere causas,
Siue Togæ decora alta velis, seu cæde madentes
Fortius Herculeo fastus compescere vultu.
Ergo magnanimos ausus & iussa secutus
Principis, & Regni Procerum, magnique Senatûs
Ibas, concretis stagnantia regna fluentis,
Extorris patriâ, vultu propiore salutans:
Per iuga, per saltus, per inhospita saxa, per imbres:
Prata, cibos, dant saxa thoros, placidumque soporem
Instratus cælo, nudoque in cespite carpis
Torrentemq; sitim referam, somnumq; famemq;
Concretas sudore comas, spretosque rigores?
Littoraque inuisa & glaciantibus aspera nimbis,
Expunctamne solo Cydarim, Cæloq; Polono?
Et doctam rigido velum componere in Austro?
Mutua, cum infensas duxisti in fœdera Gentes
Heroâ promptus vitam pro laude pacisci:
At maiora Tuæ cælo bona Numina sorti
Credebant monumenta, redux fatalibus oris,
Tot Patriæ precibus vectus, votisq; precantûm
Fronde caput viridi cinctus, dextramque decorâ
Armatus lauro, VLADISLAI sospes in arcem
Venisti; Tecum populorum corda, fideli
Vincta adamante trahens, Augustaq; pectora Regum
Sub iuga, victrici deducens Lechica lauru.
Dumque inter plausus, & publica vota Senatus,
Regali digito Patriæ PATER, atque cupitæ

Aſſertor pacis, duplici monſtraris in Arcto
Nulla Tibi interea, laxantur in otia vires,
Non vitium, lætis commune ſuperbia rebus
Acceſsit, procul ambitio vigilare potentûm
Veſtibulis aſſueta, fores ſed multa coronat
Gratia, difficilis nullis eſt ianua votis.
Nec meritis dilatus honos, geminare Curules
Iuſtitiæ Pater ipſe iubet, trabeasque merenti
Accumulat, plaudente ſolo gratantibus aſtris
Namque verecundo, vittata monilia collo
Paſtorale decus, dum fors Præmiſlia denſat
Inſertum gemmis, ſupplex amplexa Toreuma
Imperij ſtudioſa Tui; mox Faſcia vultu
Emicat, Auguſtæ nectens noua lumina Fronti
Mitraque conſuetos refugit iam lambere crines
Illuſtresque pauet vultus, tamen ambit eoſdem
Arctius & prenſat cultu, quod ferre veretur
Auguſtale iubar, dextræque inſignia Faſces
Illachrymata fouet, ſpectataque fata moratur
Æternum ſpondens decus & memorabile pactum
Inſtaurans factis magnarum ſchemata rerum
Obiectans oculis, dubij niſi cura timoris
Turbaret pauido rerum ſignacula nutu
Ingereretque metus; votis tamen obruta cęcis
Sæpiùs erubuit, dextramque precata paternam
Hoſpitio facilis flexâ Ceruice ſalutat,
Accuſatque vices rerum, ſperatque timetque.
Sed fruſtra queritur ſtudia in contraria tempus
Ægrâ voce trahens; venturæ neſcia ſortis
Dum luctans, fatis pugnantia fata rependit:
Namque citata, petens cælo lux miſsilis vrbem
Cracigenam; buſto, cum lamentabile funus
ZADZICIVM, lachrymans dabat, atque obſcurus
Nigranti populus, pulloque aulæa tumultu (amictu
Et picturatis mærebant Templa figuris;
Aduena, mitrati ſenſim lux ecce Senatus
Corda ſubit, Regique nouos ſuper inijcit ignes
Inſtillatque fibris magnarum examina rerum
Singultusq; ouium lacrymantûm votaq; Patrum
Nec mor-

Nec mora Te ingeminat feſtiuo Curia plauſu
Cracigeni Auroram populi, celſoque locatum
In ſolio, Auguſtis onerat caput impigra vittis,
Submittitq; iubar capitis Diadema coruſci:
Et ſimul attonitâ duplex ceruice pependit
Aurea Maieſtas, Nomenq; ex omnibus vnum
GEMBICIVM libat, cæloq, inſculpit ouanti.
Magne Virûm quid! adhuc contra luctabere? cernis
Vrbs procumbit humi ſupplex, Craciq; potentem
Per dextram, & Genium, cinerataq; buſta precatur
Si Te Chara Fides, Lechici & reuerentia ſceptri
Tangit, honoratum ne ſpernas Paſtor ouile!
Ipſe Stanislaus, turriti Præſes Honoris,
Pontificumq; Decus, ſacriq; Columna Senatûs,
Inclinat, famulo cinctam diademate Mitram:
Ipſe pedum, Cydarimque, ſui velamen Honoris,
Relliquias frontis propriæ, ſacra Lypſana monſtrat:
Venturo pandens ærata Cubilia Patrum,
Auguſtas Craci, ad nutum Tibi deſtinat Arces,
Tardaq; caſtigans, ſuccedere præmia factis
Vrget inaſſuetos liquidâ dulcedine plauſus.

HONORIS VATICINIVM.

VIX formoſus Honor, Tue
Naſcentem Patriæ, Te puerum bono
GEMBICI omine viderat;
Mox cunis violas, miſtaque candidis
Spargens Lilia cum Roſis,
Detriuiſſe Tibi nunc tenerum caput
Crebris dicitur oſculis;
Nunc aptare Tuis aſperam iaſpide et
Auro crinibus Infulam:
Nunc viſus gracilem prodigialiter

Aut fulcire manum Pedo;
Aut implere graui ſtemmate Lechię.
At cum dulcè fugacibus
Alis inuolitans Te petyt ſopor;
Sic Diuûm ſoboles Honor
Cępit fata canens ora reſoluere.
Creſces (namq; ſcio) PETRE,
Creſces Nobilibus maior Auis Nepos.
Te cerę memores Patrum,
Te virtus, animi nobilis Hoſpita,
Oſtendent populo Ducem;
Inſignem et duplici Pręſulem in Infula, et Regni ſtemmate nobilem.
Olim Gentis eris grande decus Tuę.
Lechęę ô Columen Rei,
Quo ſubnixa diu ſtet Patrię ſalus.
Nequicquam voluit ſator
Gentis Sarmaticę, vos ſine męnibus
Fortes viuere Sarmatę;
Si deſint ſtudio Martis idonei,
Si caſtris habiles viri,
Et raros numeret Curia prouidę
Conſultos ſapientię.
Plus commune bonum viribus ingenî
Quàm ferro indiget aut manu,
Nil diſtare feris illum ego belluis
Nil toruis puto tygribus,
Solis qui nimium fidere viribus
Audax, obycit omnibus
Coram ſole câput teſte periculis.
At Tu PETRE Poloniam
Forti conſilio et pectore fulcies.

IMMORTALIS GLORIÆ
NEXVM
PRÆSVLEÆ DVCALISQ. CORONÆ
TRIVMPHALI
FASCIÆ GEMBICIANÆ
IMPLEXV
PRÆSVLI AC PRINCIPI MERITISS:
Pax offert.

Igitur Perennitatem GLORIÆ *honorũ virtutumq́; Tuarũ laureis exæquatã, sistimus Tibi Præsul ac Princeps Illustriss: in quo Tantorum Nominum feracissimi gloriæ coaluêre nexus. Ipsa certè obuiam prodire tibi debuit, præclara hæc meriti parens ac filia, quæ iam pridem labentibus in præceps sæculis, præclarissimo tuo nomini, annorum vices, & suffragia æternitatis præcepit.*

FOrtè Lechis multo quæsitam sanguine Pacem
Gestierat solido Mauors inscribere cælo
Tutaq; compositis præceperat otia bellis;
Aduigilant Diuæ Comites: fortissima quarum
Militiæ Virtus, & legibus addita Custos
Imperij que salus, & non penetrabile tegmen
LIBERTAS, AQVILIS circumstipata Polonis
Circumeunt densâq́, Deum legione coronant.
Ille triumphales tendens Aquilonibus alas
Fulmineas adijsse domos gauisus, vt altis
Victrices lauro cristas sub nubibus auxit,
Plena secuturis vestigia linquit Alumnis.
Induto chalybem translucent astra Gradiuo.
Demirata Deum reuoluti machina cæli
Restitit, incerto micuerunt lampades igne,
Diriguitq́; Athlas. gemino pigrescit in axe
Ætatis cursus, tempus compescuit Horas,
Cunctaq; pallentem vultu accepêre timorem
Et verti trepidum tenuerunt sidera gressum.

 Institit

Institit ille Polis. venerando Nominis ori
Maiestatis apex geminos ad lumina soles
Affudit, frontem præcinxit ramus oliuæ,
Pectus in arma ferox, ignaraq; dextera vinci,
Iam pertæsa necis positâ respirat in hastâ.
Sic etiam cerni cupiens gratantibus Astris.
Ponè legit gressus Mauortis clara Propago
Bellorum soboles, componens iurgia mundi,
P A X, Diuûm sanguis, gestit comes ire Parenti.
Hæc propior cælis terram despexit in omnem,
Et visis tremefacta armis (nam peruia tellus
In Clypeis arsit, bellorum Regna tumultu
Miscentur, Mundusq; nouo circumsonat hoste)
Heu inquit, Genitor totumne perire per orbem
Iam videor plebeia mori? cur nomine nullo
Scribor? adorandas PACIS neque contuor Aras?
An potero tanto Diuorum sanguine nata
Sarmaticos inter latuisse ingloria tractus?
Parsne Tui tollar? cur Regnis exulo? Martis
Bellonæque genus? belli quam Gloria victrix
Non humili partu teneras effudit in auras?
Crediderat me fortè mori? cur viuere Mundus
Nesciat? & fortunato succrescere sceptro
Quo V L A D I S L A V S, domiti post fulmina Belli
Tranquillas Lechicis moderatur legibus oras?
Neu Famæ credar (liceat modò vera fateri)
Iam satis ambiguo trepidantia Regna tumultu
Et belli tonuêre minis. Quonam vsque Cruoris
Iactabit se dira sitis ferrique cupido?
Communi miscens Populos Regesq; ruinâ!
Nec sibi iam constans tellus malè fluctuat armis,
Ipse Polus P A C E M rogitat, nostroq; labores
Solari vultu quærit, ni temnere vota
Nostra velis Cælo PACIS credatur imago.
Dixerat. & niueos flectens ad sidera vultus.
Qualis erat Patriæ se finxit imagine mentis.
Iamq; ferens animo viui simulacra coloris,
Æternum sculpturus opus, cui secula nullam
Accelerent cariem, longis neq; cursibus æquent

Perpe-

Perpetuum, vitietq; sitûs obliuio formas.
Libratum capulo stellis interplicat ensem
Et capiti ceruicem & collo brachia nectit,
Et pulchrâ viridis radiatam luce smaragdi
Describit P A C E M desuetus prælia mucor,
Naturæ viuosq; situs accommodat arti.
Hic leges Helice scribit, currusq; Bootæ
Limitibus claudit, magniq; Borysthenis ausus
Frenantur rigidâ dominæ compage catenæ:
Et fractos memorat Dolopes, fraudesq; retectas
Perfidiæ. Regni sitis hîc sedata cruore
Rossiacæ Plebis spes Libertatis Amorq;
Accisæ, tumulisq; sepulta superbia vulgi.
Hinc Martis rigidos cinctus, pictasq, Curules,
Præsignesq; Mitras, magnæq; insignia Gentis,
Peruigiles animis Aquilas, vinctumq; MANIPLI
FASCEM, stellarum mediâ sub luce refigit.
Vicinos locat hinc Vros, soleasq; Ducales,
Et fætas stellis Lunas, & fusa per hostem
Flumina, & aduerso confixam pectore Mortem
Tergeminis Hastis, tutumq; salutis asylum
CR VX capiti variata Ducumq; Equitumq; Propago
Inseritur, nudos astris hinc deligat enses.
Hinc Clipei iubar, & sub aperta pericula belli
Innantes dextras confixaq; brachia telis.
Fascia ponè subit custos arctissima Recti
Vna saluti fero semper discrimina nexu
Fronte fugans Patriæ, belli neruusq; secundi
Gembicidûm natale decus. Tibi Magna Dearum
Regnorumq; potens virtus exsoluere nodis
Heroas placitum? Gentem Pacisq; trophæo
Perduraturam rutilis posuisse sub Astris?
Qualis Lancicios moderatus Pace Quirites
GEMBICI nubem scandis. Tibi Tænia leges
Atq; Palatinas ad Regia scrptra Curules
Innodat, lites Regni Concordia sistit
Acclines collo, Themidis Te Castra coronant
Iudicium cingitq; latus. Tibi Copia Veri
Et Consanguineum Iusti Fas, Iusq; Fidesq;

Assidet, augustumq; Themis præit æqua Tribunal,
Explicitasq; iubet placitis componere lites.
At tu paciferum nodis æqualibus orbem
Vittato cum Fratre locas, quem fida Latinis
Erudijt sacris Pietas, Cæliq; beatis
Imbutum studij discordes traxit in oras
Roxia, discissos ritu gauisa Triones
Eloquio Vinxisse Tuo, sëu otia templis
Conficis, & Rossi domitâ ceruice triumphans
VRBANVM spolijs oneras Bellator opimis,
Dilectum Fideiq; Caput, Latioq; Parenti,
Cuius adoratis fruitur Wolhinia vittis
Præsuleo secura Pedo, colloq; decentes
Præsidis aspirat Luceoria ferre catenas.
Ipse leues Tibi sternit aquas, & Cærula subdit
Colla Patri solitò vitreis iactantior Vndis
Stirius, & seros Tibi fluctibus influit annos
Aurea Cæruleo designans secula gyro.
Sed placidæ dilecta magis Premislia Paci
Fascia concordi sese deuinxit amore
Auspicijsq; nouis; Meriti quam dextera librans
Maiorem reperit, supero applaudente senatu.
Tu quoque viuis adhuc (sed enim quia Fata negârunt)
Vixisti terris fortunatissima Puppis.
Ne dubita Cracio succedet Fascia Ponto
Lætaq; veliuolæ protendet carbasa classi,
Remigium vittis exornatura paternis.
Hæc apicem virtutis habet; cui limine primo
Natales ad sacra tulit cunabula fasces
Altus Honor; dubijsq; Fides infracta procellis;
Quam Labor ingentes complexus pectore curas
Distinuit vigilem, seu publica causa iuberet,
Curia seu vellet partem de mole negotiî
Illustres adiisse humeros: quibus adstitit alti
Consilij sapiens vsus, iurataq; Regi
Dextera magnorum pandens oracula Regum
Doctaq; componens consulti verba Senatûs
Fascia GEMBICIO facilis circumdare nexu
Diuulsas Regni partes, mundumq; leuare

Et má-

Et magnas patriæ ſufferre in pondere moles.
Cuius & ipſa pio ſe claudunt ſecula circo
Et Toga paciferis circumuallata triumphis
Et procul extentâ Mars aſpectabilis haſtâ
Concurrunt ſocio percuſſifæderis ictu.
Vſque adeô Cracijs digniſſima crederis aris
Quæ ſocies gladij diſperſum vulnere Corpus
Martyris egregij frenos audacia tandem
Diſcat ſerò pati, ſcelus infreneſq; lupatis.
Protinus excelſo PACIS figenda trophæo
Mauortis dextram ſubijt notiſſima factis
Faſcia, laudati ſtrictoq; volumine nodi
Implicuit Mitramq; Ducis Myſtæq; Tiaram
Et ſublimePedum, priſcæq; inſignia ſtirpis
Bellipotens. Vittam verbis affatus amicis:
Tu ſuperûm cinctus, Tu non violabilis Æqui
Congeries, virtute nihil non auſa paternâ,
Tu Regum Cineres æternaq; buſta decoro
Heu cohibes nodo! Lechicæ Tu fædera PACIS
Conſeris, Hæreſeon diros elidis hiatus,
Ritè ſaluti feris adſtringens vulnera vittis
Hæc fatus: reliquum telis præuelat Olympum.
Omnis Opum ſeries magnis cumulata Quiritûm
Liminibus, nubem ſubijt cæloq; pependit;
Et Lechicas rurſus Mars demigrauit in oras.
Nec Mora Pax reduces loris moderata Quadrigas
Præuehitur Cracidûm turres, celſaſq; ſeuero
GEMBICII nodo ſuccincta perambulat arces
Tranquillo ſpirans cæli moderamina vultu
Quæ noua Sarmaticos tranſcendit adorea fines?
Quæ croceum iaculata iubar, patrioſq; penates
Irrumpens accendit ebur? templiſq; decores
Præſuleos aperit? patulo quos incola fixus
Ore legat Myſtæq; nouos gratetur honores?
Auditis? plenis populus qui fluctuat agris
Et ſuper herbifero proiectus ceſpite, gratum
Lætitijs orditur opus, neglectaq; paſsim

Retrô rura legit: dominæ vultumq; Tiaræ
Agnoſcens cupidis narrat ſua gaudia campis,
Agreſtesq; rudi permulcens pectine curas
Impiger officium Cumulat, fidibusq; canoris
Acriùs inſiſtens deſuetas elicit artes
Et ſuper inſignem cantat præſagia mentem.
Iam Tibi Pegaſeo manantes gurgite riui
Fluctibus alternis lætum ſonuêre Celeuſma.
Iam vernæ cumulantur opes: viret herbida tellus
Luxuriant hilares Campi, iuuenescit & omnis
Poſt tetricas hyemes teneris in menſibus Annus,
Vernaque purpureo pingunt ſe prata colore.
Iamq; vireſcentes campi per aprica tapetas
Explicuit Zephyris lenem famulantibus auram
Lætus & halantem cumulans tibi floribus aram
Maius odoriferos latè patefecit honores.
Ipſe pios Vandæ cineres qui colligit vndis
Viſtula Sarmaticus vitreo gauiſus ab amni
Fluctibus erigitur, viuoq; vapore mãdentem
Inſpirat cælis vultum: quem flammeus auro
Intuitus Titan, Cracijs obuertitur Aris.
Scilicet iſta tuo debetur Præſul honori
Gloria, quam vectat mundi regina minoris
Sollicitis Aſtræa rotis geminiq: perennem
Te fortunato benè credit Neſtoris æuo
Hoc pridem Cracijs Ales qui militat aris
(Perpetuis fractus ſtudijs) aſpirat anhelo
Aſſurgens collo, & regalibus obuius alis,
Amplexaturis pandit Tibi brachia pennis
Et super Empyrei prouectum culmina Pindi
Extremamq; super decuſſo climate Thulen
Ferre parat, Laudeſq; Tuas per aperta Deorum
Atria pennigero circum cantare triumpho
Inſtruit, & patrio ſatagens extorris ab orbe
Currere, pernici miſcet veſtigia pennæ.
Vt Tibi ſtellatis Diuûm citus aduena tectis
Nectat Apollineas æterno marmore Lauros.

VO-

VOTORVM NEXVS.

Illustrisimo Præsuli, ac Principi SOSPITATEM Diutissimæ Vitæ Pollicetur.

CÆli fauores, à terrenis, perennitate, distingui decet & inter plausus gestientium Populorum cuiuis, Tecum Præsul Illustriss: laudabiliter esse malignum decet. Præmium Virtuti meritisq; Tuis in Remp: diu debitum Totius Regni suffragatione gratulantur boni omnes Te occupasse, cæleste illud vltimum conquirendum adhuc superest. Vota iam singulorum ex voce, vultu atq; ipso inusitato splendore Pompæ Fortunatiss: ingressus Tui *Vota inquam Populorum conijce. Omnes illic mercedem* Tibi *quàm tardissimam præoptant, nam collatum sibi in* Te *Diuinitus beneficium, materiam Lachrymarum habere nollent, VIVAT, vox vna omnium est, Annos Nestoris, qui Nestoreis dotibus & consilio Rempub: sustinet vniuersam.*

At Tu Regni columen, iubarq; sanctissimum, Tu Sedis huius Augustæ Præses STANISLAE, Vota, minimæ Societatis IESV, Publicis Populorum consociata votis Præsuli meritissimo Auspicatò sedem Tuam ingredienti DIV Fausta, DIV rata esse concede.

ODE VOTIVA

AD D. STANISLAVM REGNI POL: PATRONVM.

DIVE quem sacrâ colit Arce Cracus,
Lechiæ Reges cui dedicatum

Colle Vauelli Pario locarunt
Marmore templum.
Hîc adhuc viuo ſimilis reclinem
Applicas aurem Procerum querelis,
Siue Te multâ prece, ſiue multo
Thure vocantûm,
Qualis, æſtiuo, pecoris magiſter
Sole vicinos iaculante ſaltus,
Arcet infeſtum pauido luporum
Agmen ouili;
Interim campi per amæna lætum
Errat armentum, prope quà iacentes
Mordet effuſo taciturnus amni
Viſtula ripas:
Talis æterna ſtatione fidus
Excubas Paſtor; vaga ne Polonos
Peſtis, aut vrat face peſtilenti
Syrius agros
Neue per noſtras pharetratus vrbes
Prædo graſſetur, pecudumue ritu
Heu! agat præ ſe populos timendam
Viſere Thracem.
At Tibi quondam (pudet heu fateri)
Lechico Princeps dominatus orbi
Merſit orantis tepido ſceleſtum
Vertice ferrum,
Ritè dum ſacris operatus Aris
Flectis inceſti vitijs iniquum
Principis Numen, malè fulminatis
Occidis armis.
Impijs Audax gladiator armis,
Sector infelix, benè tam cruenta
Cæde menſuram ter inominati
Nominis imples.

At nec extinctus rabiem furentis
Effugis dextræ. micuêre stricti
Hinc & hinc enses: fremitu mucronum-
-Exhorruit aura
Barbarè fortis, nimium obsecutus
Miles exemplo Ducis, execrando
Præsulem letho ferit & seuero
Diuidit ictu.
Et Tuum rupes hodieq; crimen
Tristibus narrat gemebunda saxis
Barbarosq; ausus fugiente coram
Flumine plorat.
Ergo contortis violenter vndis,
Præsulis dum se pius amnis acrem
Iactat vltorem, quatit exprobrante
Littora fluctu:
Sanguinem & nunquam satis eluendum
Expians ripâ nimiùm querente,
Gurgitum insano Craciam tumultu
Terruit Arcem.
Quid! quòd & sparsis per acuta membris
Imminent pressâ reuerenter alâ,
Et super tristi Iouis administræ
Clade parentant.
Viuidâ bustis reuocare voce
Diue si manes poteras, Cracæi
Proroges filo meliore ductum
Præsulis æuum.
Viuat extentam meritis senectam,
Et LADISLAO patriæq; carus
Infulam gestet, superamq; paulùm
Differat aulam;

 Bospho-

Boſphorum donec videat Quirino
Redditum Tybri, Tyberiq; Gangem
Et catenatum Latijs refrenet
Legibus Iſtrum.
Hîc in argento Tibi magne carmen
Martyr incido, memoremque voti
Proximum ſancti latus ad ſepulchri-
Inſculpo querelam.

Illuſtriſs: & Reuereñ: Celſitud: Tuæ
DEVOTA
SOCIETAS IESV
MINIMA
FAVSTITATIS OMEN
&
CONCEPTAE LAETITIAE ARGVMENTVM
POSVIT
CRACOVIÆ.



Typis Valeriani Piątkowſki, Anno D. 1643.